XXXIV
PROGRAMM
des
Königlichen Gymnasiums
zu
OSTROWO
Michaelis 1879.

INHALT:

1. ‚Quaestiones Tullianae' und ‚Quaestionum Statianarum Particula II.' vom Gymnasiallehrer L. Polster.
2. Schulnachrichten vom Direktor.


1879. Progr. Nr. 130.

OSTROWO.
Theodor Hoffmann's Buchdruckerei.

Quaestiones Tullianae.

Accedit

Quaestionum Statianarum Particula II.



Scripsit

Ludovicus Polster.

Quod inter omnes, qui in antiquitatis studiis vitae quasi tabernaculum collocarunt et in discutiendam et restituendam antiquitatis monumentorum integritatem curam et doctrinam impenderunt praecipuam, fere constat permultos operum Latinorum fontes, id quod dolendum est, aliis alios inquinatos esse corruptelis, idem magna ex parte cadere in eum, ad quem eloquentiae gloria aspiravit nemo, principem dico eloquentiae Romanae M. Tullium, nemo non fateatur necesse est. Quae cum ita se habeant, operae pretium facturus esse mihi videbar, si ad quaestiones eiusmodi, quarum tollendarum absolvendarumque nullus dum vir doctus rectam viam ingressus est, studium doctrinamque applicassem, praesertim cum M. Tullius pro iis, quibus praeter ceteros aetatis suae aequales ingenii divitiis atque ornamentis elucet in gymnasiorum umbraculis principem fere locum obtineat in eoque percunctando perscrutandoque discipulorum literis latinis eruditorum studia imprimis occupata sint. Quoniamque, ut gymnasiorum ratio fert, multum temporis M. Tullii operibus tractandis impertimus, ad haec potissimum cognoscenda ingenium contuli idque imprimis egi, ut puram incorruptamque orationis Tullianae integritatem, hic illic mendorum labe contaminatam, restituere conarer. Atque ut iam ex carceribus ipsis, ut aiunt, exeat disputatio, legitur in ea, quam Cicero pro Sestio habuit, oratione c. 8, § 19. extr. secundum cod. Bern. (saec. X) auctoritatem sic: ‚Alter (scil. Piso), o dii boni, quam taeter incedebat! quam truculentus: quam terribilis aspectu! — unum aliquem te ex barbatis illis, exemplum imperii veteris, imaginem antiquitatis columen rei publicae diceres intueri: — vestitus aspere nostra hac purpura plebeia ac paene fusca, capillo ita horrido, ut Capuam, in qua ipse tum imaginis ornandae causa duumviratum gerebat, Seplasiam sublaturus videretur. Nam quid ego de supercilio dicam, quod tum hominibus non supercilium sed pignus rei publicae videbatur. Tanta erat gravitas in oculo, tanta contractio frontis, ut illo supercilio m a n t u u s ille niti tamquam videretur.‘ Lectioni ‚mantuus ille‘, cum sensu plane cassa sit, alii alio modo lucem affundere conati sunt. Atque Lambinus quidem e codd. vestigiis ‚annus ille‘ legendum esse sibi persuasit, Bakius autem, cui emendatio probabilis non suppeteret, totum locum inde a verbis ‚tanta erat gravitas‘ usque ad ‚videretur‘ rhetori inepto attribuit. Mar-



tinum Hertzium, virum illustrissimum, qui hanc orationem Tullianam in lectionibus academicis nonnunquam tractandam sumpsit, ‚Rhadamanthus ille' coniecturam proponere memini. Quem virum doctissimum et in M. Tullii operibus versatissimum et in universum de antiquitatis studiis optime meritum quamquam rectam emendandi viam ac rationem patefecisse libere profiteor, tamen ut illius coniectura mendum sublatum esse credam, haudquamquam adduci possum. Nam et coniectura illa, palaeographiae si spectes rationes, a codd. memoria nimis discedit, et Rhadamanthi, numinis Graeci, huic loco mentio inculcata, ne orationis quidem universae aut sententiae singularis proprietati omni ex parte convenit. Quamquam nominis notionem, id quod recte perspexit vir doctissimus, e codd. vestigiis eliciendam esse per se patet. Praeterquam enim quod ipse M. Tullius cap. superiore se consulum ‚ora ante oculos' propositurum aperte confirmat, cui rei personae imagine omnibus notissimae adhibita optime consuli posse in promptu est, haec suspicio etiam pronominis ‚ille' additamento haud parum confirmatur. Una literula ‚u' exstincta legendum statuimus: ‚Tanta erat gravitas in oculo, tanta contractio frontis, ut illo supercilio Mantus ille niti tamquam videretur'.

Manti, inferi numinis, cultum, quamvis ad Etruscorum potissimum ritus et disciplinam pertineret, tamen etiam Romae longe lateque percrebuisse eiusque imaginem ac speciem ipsis Manti simulacris omnibus fuisse notissimam Mantique mentione facta cuique huius dei ante oculos obversatam esse effigiem, nemo negabit. Cf. Plaut. Capt. V 4, 1. ‚Vidi ego multa saepe picta quae Acherunti fierent cruciamenta.' Tusc. I 6 ‚pictorum portenta.' Serv. ad Verg. A. X 198 ‚Alii a Tarchone Tyrrheni fratre conditam dicunt, Mantuam autem ideo nominatam, quod Etrusca lingua Mantum Ditem Patrem appellant, cui etiam cum ceteris urbibus et hanc consecravit.'

Ceterum cf., si tanti est, Prelleri myth. Rom. p. 460, qui multus est in Manti numinis descriptione et imagines inferorum in Gerhardi numin. Etrusc. T. VI. Quamobrem quoniam M. Tullio taetrum Pisonis aspectum depicturo vix melior quam Manti numinis comparatio suppeditabat, quippe qui fingeretur aeque atque Pisonem finxerat Tullius, — etenim erat ‚taeter, truculentus, terribilis aspectu', ‚capillo horrido', ‚contracta fronte' — non est quod ambigas levissima medela adhibita legendum esse: ‚Tanta erat gravitas in oculo, tanta contractio frontis, ut illo supercilio Mantus ille niti tamquam videretur.'

Cui coniecturae et pronominis ‚ille' additamentum et sententiae εἰρωνεία acutissima optime favet. Sensus enim exsistit hic: Tanta erat gravitas in oculo Pisonis, tanta contractio frontis, ut in illius supercilio dirus aspectus Manti, inferi numinis, cuius omnes bene nostis imagines, inesse et consistere tamquam videretur.

Res iam in eo est, ut anquiramus, quid sibi velint in eodem enunciato verbo ,tamquam videretur'. Madvigius cum in vocabulo ,tamquam' ante ,videretur' posito offenderet meminissetque Valerium Probum (Putsch. col. 1475) bis ex Cicerone citare ,vultu tamquam vade' re perpensa ante ,videretur' vocabulum ,vade' hoc loco inserendum esse sibi persuasit, ,quod dubitari vix possit, quin hinc sumpserit vultumque pro supercilio levi memoriae errore posuerit.' At quamquam concedendum literas ,vade' ante ,videretur' facile intercidere potuisse, tamen cum Valerii Probi verba praeterquam quod ad Ciceronis opus aliquod deperditum pertinere possunt et bis non semel ex Cicerone citantur, neque cum hoc ipso M. Tullii enunciato omni ex parte conspirent, neque vox ,vade' necessario addenda sit, nescio quo pacto fit, ut in hac coniectura scrupulus haud levis resideat. Vox ,tamquam' ante ,videretur' facillime explicari potest ascita propria videndi verbi notione passiva. Quae huius verbi notio neque a sermonis Latini consuetudine abhorret, cf., si placet, Varron. R. R. I 2, 4. Ovid. Pont. 4, 9, 18. Liv. 4, 40 et alia huius generis exempla apud Klotzium et praemissa voce ,tamquam' ex more Tulliano non modo explicatur, sed etiam fulcitur.

Transeamus iam ad eiusdem orationis c. XIV extr., ubi haec leguntur: ,Iidem consules, — si appellandi sunt consules, quos nemo est quin non modo ex memoria, sed etiam ex fastis evellendos putet, — pacto iam foedere provinciarum, producti in circo Flaminio in contionem ab illa furia ac peste patriae, maximo cum gemitu vestro illa omnia, quae tum contra me contraque rem publicam . . . . . , voce ac sententia sua comprobaverunt.'

Post verba ,contraque rem publicam' quoniam lacunam statuendam esse luce clarius est, par est ut quomodo verisimillime, quoad eius fieri potest, supplenda sit anquiramus. Literarum ,contraque r̃p̃.' maiuscularum si vestigiis institeris, verbique, cuius nec vola nec vestigium superest, notionem necessario efflagitatam pependeris, non est cur ambigas post verba ,contraque r̃p̃.' addendum esse ,conferebantur' legendumque esse sic: Iidem consules, — si appellandi sunt consules, quos nemo est quin non modo ex memoria, sed etiam ex fastis evellendos putet, — pacto iam foedere provinciarum, producti in circo Flaminio in contionem ab illa furia ac peste patriae, maximo cum gemitu vestro illa omnia, quae tum contra me contraque rem publicam conferebantur, voce ac sententia sua comprobaverunt.'

Quod lacunae supplementum et totius sententiae perspicuitati optime consulit et palaeographiae legibus haud parum commendatur. Neque enim quisquam negabit in vestigiis literarum ,contraque r̃p̃.' et latere et post has literas hoc ipsum verbum ,conferebantur' facillime intercidere potuisse, praesertim si verba in archetypo literis maiusculis et per compendia scripta fuerunt. Ne multus sim in se aperta, clamitat ipsa sententia poscitque sensus, ut hoc

ipsum verbum restituatur, cum huius notio necessaria sit. Quae alii tentaverunt ,dixerat, dixerant, agebat' refutatione non egent, cum speciem probabilitatis palaeographicae prae se non ferant.

In l. de n. d. 1, 13, 34 textus, qui vocatur, secundum codd. memoriam exhibetur hic: ,Ex eadem Platonis schola Ponticus Heraclides puerilibus fabulis refersit libros, et *tamen modo mundum, tum mentem divinam esse putat, errantibus etiam stellis divinitatem tribuit sensuque deum privat et eius formam mutabilem esse vult, eodemque in libro rursus terram et caelum refert in deos.' Quam codd. exhibent omnes lectionem ,tamen', eam, cum a sensu tota aliena sit, stare non posse in aprico positum est. Neque vero quae viri docti proposuerunt bonae frugis esse dici possunt. Atque Manutius quidem delecta ,modo' lectione pro ,tamen' suspicatus est ,tum', Orellius vocem ,tamen', in qua codd. conspirant omnes, uncis inclusit, Klotzius recepta Manutii coniectura lacunam statuit inter ,tum' et ,modo' voces. Mihi quidem videtur pro ,tamen' legendum esse ,numen', cuius vocis vis et notio in hoc sententiarum connexu desideratur. Neque enim est sermo nisi de deorum numine. Voces ,tamen' et ,numen' in codd. facile confundi potuisse cum pluribus demonstrare possim, tamen his non immorabor in re primo obtutu aperta. Id uno verbo moneam in ipsa sententiae viscera ac paene medullam si penetraveris, quae melius quadret ad sensus proprietatem haud extrices aut repperias. Legendum igitur est me quidem iudice sic: ,Ex eadem Platonis schola Ponticus Heraclides puerilibus fabulis refersit libros et numen modo mundum, tum mentem divinam esse putat, errantibus etiam stellis divinitatem tribuit sensuque deum privat et eius formam mutabilem esse vult.'

In eiusdem operis l. 2, 15, 40 codd. scriptura haec est:

,Atque ea quidem [sidera] tota esse ignea duorum sensuum testimonio confirmari Cleanthes putat, tactus et oculorum. Nam solis calor et candor inlustrior est, quam ullius ignis, quippe qui in immenso mundo tam longe lateque conluceat, et is eius tactus est, non ut tepefaciat solum, sed etiam saepe comburat, quorum neutrum faceret, nisi esset igneus.'

Lectioni ,calor', quam codd. exhibent omnes, sensum omnino refragari iam inde apparet, quod in tribuenda sideribus divinitate priore loco ad oculorum altero ad tactus testimonium provocatur. Quae res causa fuit, cur omnes interpretes auctore Orellio vocem ,calor' omnium codd. testimonio munitam expunxerint atque delerint. At mirum quantum Orellius in investigandis glossematis tollendisque verbis genuinis in textu Tulliano, qui dicitur, immerito grassatus est. Quid? quod levissima medela mendum sanari potest? Vocis ,calor' ,a' litera mutata in ,o' sensus exsistit praeclarus. Legendum igitur statuo sic: ,Nam solis color

et candor inlustrior est quam ullius ignis, quippe qui in immenso mundo tam longe lateque conluceat, et is eius tactus est, non ut tepefaciat solum, sed etiam saepe comburat, quorum neutrum faceret, nisi esset igneus.'

Solis color et candor per ἓν διὰ δυοῖν condicionem, quam grammatici vocant, idem valet, quod solis candidus color, cuius epitheti coloris proprii, cum exempla porrigi possint sescenta, pauca lubet afferre. Cf. Plin. 2, 18 (16), 179. Vitr. 10, 2, 15. Ov. am. 1, 723.

Sequitur ut de eiusdem libri corruptela in cap. 15 § 132 obvia disputemus, ubi codd. scriptura haec est:

,Enumerari enim non possunt fluminum opportunitates, aestus maritimi multum accedentes et recedentes, montes vestiti atque silvestres, salinae ab ora maritima remotissimae, medicamentorum salutarium plenissimae terrae, res denique innumerabiles ad victum et ad vitam necessariae.' Lectio ,multum' utpote inepta neque orationis Tullianae integritati respondens, quamvis merito ab omnibus interpretibus in dubium vocata sit, tamen nondum mendo liberata autumanda est. Quae enim interpretes coniecerunt, qui pars ,tum' vel ,mutuo' suspicati sunt veluti Orellius, pars omnino secluserunt a Tullioque abiudicarunt, ea haud scio an nemini probari possint. Etenim neque coniecturis illis corruptelae origo explicatur et glossematis suspicio haec audacior quam verior putanda est. Nobis ,multum' corruptum esse videtur ex scriptura ,in altum' legendumque statuimus sic:

,Enumerari enim non possunt fluminum opportunitates, aestus maritimi in altum accedentes et recedentes, montes vestiti atque silvestres, salinae ab ora maritima remotissimae, medicamentorum salutarium plenissimae terrae, res denique innumerabiles ad victum et ad vitam necessariae.'

Quae coniectura cum et palaographiae rationibus commendetur et sententiae condicioni optime conveniat, argumentis extrinsecus et quaerendis et assumendis supersedere posse mihi videor. Non maius aut audacius remedium adhibendum est ei quod in eiusdem libri § 137 repperitur mendo. Lectio haec est: ,Ex intestinis autem secretus a reliquo cibo sucus is, quo alimur, permanat ad iecur per quasdam a medio intestino usque ad portas iecoris — sic enim appellantur — ductas et directas vias, quae pertinent ad iecur eique adhaerent. Atque inde aliae . . . pertinentes sunt, per quas cadit cibus a iecore dilapsus. Ab eo cibo cum est secreta bilis eique umores, qui e renibus profunduntur, reliqua se in sanguinem vertunt ad easdemque portas iecoris confluunt, ad quas omnes eius viae pertinent, per quas lapsus cibus in hoc ipso loco in eam venam, quae cava appellantur, confunditur.' Post vocem ,aliae' aliquid desiderari manifestum est. Heindorfius ,alio' vocem supplevit, Lambinus ,ad renes'. Nos

cum probabilitatis specie non parva suspicari posse nobis videmur post vocem ‚aliae' idem vocabulum intercidisse, quod paulo ante Cicero adhibuerat et infra repetivit, cum supra diceret ‚ductas et directas vias, quae pertinent ad iecur' et infra, ‚ad quas omnes eius viae pertinent, per quas lapsus cibus'. . . legimusque: ‚Atque inde aliae viae pertinentes sunt.' Post scripturam ‚aliae' ‚viae' vocem facillime potuisse intercidere non est quod commemorem. Neque id mirum esse potest quod Cicero, quo illae viae pertineant et quo directae sint, in medio relinquit, quoniam id hoc loco nullius erat momenti. Eodem modo ad finem eiusdem capitis verbi ‚pertinere' usus absolutus repperitur, ubi legitur: ‚Huc adde nervos, a quibus artus continentur, eorumque implicationem corpore toto pertinentem.'

In l. 3, 3, 7 codd. lectio haec est: ‚Tum Cotta: Primum quidque videamus, inquit, etsi id est primum, quod inter omnes nisi admodum impios convenit, mihi quidem ex animo exuri non potest, esse deos, id tamen ipsum, quod mihi persuasum est auctoritate maiorum, cur ita sit, nihil tu me doces.' Iam prima fronte offendimur lectione ‚exuri'; quae cum sensu careat, fieri non potest, quin corrupta sit. Quoniam in lectione integra atque genuina evellendi notio lateat necesse est, Walkerus ‚erui', Orellius ‚exui', C. F. W. Mueller in editione Lipsiensi 1878 ‚excuti' proposuerunt. Nos quidem proxime ad codd. vestigia accedere nobis videmur conicientes pro ‚exuri' ‚exeri'. Exsistit igitur sensus hic: Quod mihi quaedam innata vis et auctoritas maiorum esse deos inseruit, id mihi ex animo exseri sive evelli non potest. Sequitur ut ad eiusdem libri § 50 animum appellamus, ubi legitur: ‚Ob eam enim ipsam causam Erechtheus Athenis filiaeque eius in numero deorum sunt, itemque *Leonaticum est delubrum Athenis, quod Leocorion nominatur.' Lectio ‚Leonaticum' sine dubio corrupta est. Cui corruptelae obscurae ut lucem afferrent, Lambinus ‚Leo natarum', Wyttenbachius ‚Leoidum', Schuetzius ‚Lei filiarum', Schoemannus ‚Leontidum' tentaverunt, alii veluti Baiterus et C. F. W. Mueller loco ut desperato crucem praefixerunt. Mihi quidem in verbis ‚itemque Leonaticum est delubrum Athenis' latere videtur ‚itemque Leo anticum est delubrum Athenis.' Templa antica sive in antis, quae Graeci ἐν παϱάστασιν nominabant, peculiare genus templorum proprio ritu aedificatorum fuisse notum. Eiusmodi templa cum ad honorem deorum et heroum priscis illis temporibus fundari solerent, cum probabilitate haud parva in eam sententiam abibis huiuscemodi templum Leo Athenis fuisse Tullium significasse. Transpositio literarum, quoniam id genus corruptelarum frequentissime in codd. repperitur, levisssima putanda est. Ceterum cf. Guhl et Koner p. 10 sqq. et Varr. LL. 7, 7. p. 119 ed. Muell. ‚antica templi pars'.

Res iam in eo est, ut ad discutiendos de divinatione libros vela det disputatio. In l. 1, 9, 16 codd. scriptura haec est: ‚Ne hoc quidem quaero, cur haec arbor una ter floreat

aut cur arandi maturitatem ad signum floris accommodet: Hoc sum contentus, quod, etiamsi *quo quidque fiat ignorem, quid fiat intellego.' Lectionem ,quo' tolerari non posse cum omnibus persuasum sit ad coniecturas interpretes confugerunt. Atque Christius corruptelam obelo signavit, quamvis ipse coniecerit ,cur', quam coniecturam C. F. W. Mueller in textum, qui vocatur, recipere non dubitavit. Nobis scribendum videtur esse ,quî quidque fiat ignoro', praesertim cum antiqua huius vocis scriptura fuerit ,quoi', quae a lectione tradita non fere differt. Memorabilis corruptela repperitur in l. 2, c. 64, § 133. Tullius iam de obscuritatibus et aenigmatis somniorum, poetarum, physicorum, medicorum disputans pergit sic: ,Valde Heraclitus obscurus, minime Democritus; num igitur conferendi?' Mea causa me mones quod non intellegam? Quid me igitur mones? Ut si quis medicus aegroto imperet ut sumat

Terrigenam, herbigradam, domiportam, sanguine cassam

potius quam hominum more cocleam dicere. Nam Pacuvianus Amphio

Quadrupes, tardigrada, agrestis, humilis, aspera,
Capite brevi, cervice anguina, aspectu truci,
Eviscerata, inanima, cum animali sonó,

cum dixisset obscurius, tum Attici respondent:

Non intellegimus, nisi si aperte dixeris; at ille uno verbo ,Testudo.' Non potueras hoc igitur a principio, citharista, dicere? In emendanda insigni corruptela ,tum Attici' viri docti frustra desudarunt omnes. Atque Bothius quidem tentavit ,attice', Orellius ,Astici', ,rustici' Bergkius, ,Bacchici', Welckerus de trag. Gr. p. 815. Quibus coniecturis cum viri docti audacius iusto egerint, bonae frugis nihil inde redundare nobis videtur, nisi quod chori nomen in corruptela ,tum Attici' latere perspexerunt. Ac primum quidem statuendum chorum hoc loco significari indicarique ipsa corruptela ,tum Attici', id quod ex plurali numero vocis corruptae et ex verbo ,respondent' elici potest nec minus ex ipsa huius fabulae notata condicione. Nos quidem non longe a vero aberrasse nobis videbimur conicientes pro ,tum Attici ,thymelici', praesertim cum in archetypo scripturam ,thumelici' fuisse perpenderimus. Quae cum rara vox notitiam scribarum fugeret atque lateret, ut eiusmodi verborum fata ferunt, non potuisse non corrumpi in promptu est. Thymelici dicebantur citharoedi et tibicines, qui in thymele canebant. Cf. Isid. 18 orig. 47: ,Thymelici erant musici scenici, qui in organis et lyris et citharis praecinebant. Et dicti thymelici, quod olim in orchestra stantes cantabant super pulpitum, quod thymele vocabatur.'

Fabulae Pacuvianae residuum fragmentum si spectamus atque imprimis versus ipsos servatos premimus, iure nostro colligere nobis videbimur Amphionem ad citharoedos se con-

vertisse atque ab iis cantum ad citharam poposcisse instrumenti proprietate significata verbis paulo obscurioribus. Tum thymelici respondent . . . . Iam Amphion ipsorum instrumentum musicum nominat dicens ‚testudo'. Quae cum nisi ad thymelicorum munus non pertinere possit, hos significasse Amphionem, ad hos se convertisse iam totius sententiae condicio convincit. Legendum igitur sic: ‚Valde Heraclitus obscurus, minime Democritus; num igitur conferendi? Mea causa me mones quod non intellegam? Quid me igitur mones? Ut si quis medicus aegroto imperet ut sumat

Terrigenam, herbigradam, domiportam, sanguine cassam

potius quam hominum more cocleam dicere. Nam Pacuvianus Amphio

Quadrupes, tardigrada, agrestis, humilis, aspera,
Capite brevi, cervice anguina, aspectu truci,
Eviscerata, inanima, cum animali sono,

cum dixisset obscurius, thymelici respondent:

Non intellegimus, nisi si aperte dixeris:

At ille uno verbo ‚Testudo'.

Sequitur, ut quos M. Tullius de rep. scripsit libros, iis operam navemus artemque criticam adhibeamus, cum haud parvis mendorum vitiis laborent. In l. 1, 23, 37 p. 223 legitur sic: ‚Hic Philus: Non hercule, inquit, Scipio, dubito quin tibi ingenio praestiterit nemo, usu quidem in re publica rerum maximarum facile omnis viceris; quibus autem studiis semper fueris, tenemus. Quam ob rem si, ut dicis, animum quoque contulisti in istam rationem et quasi artem, habeo maximam gratiam Laelio; spero enim multo uberiora fore, quae a te dicentur, quam illa, quae a Graecis *nobis scripta sunt omnia.' Corruptela ‚nobis' mirum quantum illa virorum doctorum ingenium torsit. Halmio vox ‚nobis' delenda videtur esse, Creuzerus ‚nobilissimis' coniecit, ‚hominibus' Orellius, ‚nobis relicta sunt' Osannus proposuit. Quoniam per se patet Philum urbanissima dicendi ratione Scipionis sensus fovere eique blandiri, haec coniectura mihi optime huic urbanitati respondere videtur: ‚Spero enim multa uberiora fore, quae a te dicentur, quam illa, quae a Graecis omnibus scripta sunt omnia'. Vocabula ‚nobis' et ‚omnibus' in codicibus sescenties esse confusa nemo est quin nesciat. Adde quod urbanitati loquendi coniectura nostra optime consulitur. Qui modo dixerat Philus: ‚Non, hercule, Scipio, dubito, quin tibi ingenio praestiterit nemo', idem infra sibi constans pergit: ‚Spero enim multo uberiora fore, quae a te dicentur, quam illa, quae a Graecis omnibus scripta sunt omnia.' Accedit quod repetitio illa vocis ‚omnis' in eodem enunciato elegantiae sermonis Latini atque urbanitati optime respondet. Qua de re cum plura possim unum exemplum protulisse satis est. Cf. Cic. Rab. perd. 7. ‚Omnes omnium ordinum homines' et similia. In eiusdem l. c.

41, § 64 quem M. Tullius nobis versum Ennianum servavit, eum nullus dum interpres restituit. Legitur ibi vulgo sic: ‚Iusto quidem rege cum est populus orbatus,

pectora diu tenet desiderium,

sicut ait Ennius, post optimi regis obitum.‘ Codd. pro DIV exhibent D^IV. Quae lectio cum ab interpretibus non intellegeretur, Orellius ‚dura‘, Krarup ‚fida‘ proposuerunt. Halmius in textum, qui vocatur, ‚diu‘ recepit, quem C. F. W. Mueller in recentissima superioris anni editione immerito atque quaestione parum diligenter perpensa secutus est, quippe cui suspicioni ipsum metrum reclamitet.

Curiosioribus diligentioribusque oculis quam cod. lectionem D^IV exhibet si inspexeris, eam genuinam integramque Ciceronis vocem praestare invenies. Quod enim neminem, qui palimpsesti Vaticani lectionibus accuratius insistit, fugere potest, manui secundae, id quod mirum nonnulli esse videatur, plus tribuendum esse auctoritatis quam quae manui priori debeatur, id hoc quoque, de quo disputamus, loco liquido demonstratur. Veram enim genuinamque Ciceronis vocem servavit manus 2. legendumque, id quod certo certius est, ‚pectora dia tenet desiderium.‘ Qua coniectura nostra et metrum et vocabulum vere Ennianum restituitur sensusque exsistit praeclarus. Quid? quod coniecturae nostrae argumentum non extrinsecus vel foris assumptum, quod ab vate ipso affluit atque redundat? Pergit enim Ennius sic:

‚simul inter
Sese sic memorant: O Romule, Romule die,
Qualem te patriae custodem di genuerunt.
O pater, o genitor, o sanguen dis oriundum!‘

In l. 2, c. 20, § 36 codd. lectio haec est: ‚Deinde equitatum ad hunc morem constituit [L. Tarquinius], qui usque adhuc est retentus: nec potuit Titiensium et Rhamnensium et Lucerum mutare, cum cuperet, nomina, quod auctor ei summa augur gloria Attus Navius non erat. Atque etiam Corinthios video publicis equis adsignandis et alendis orborum et viduarum tributis fuisse quondam diligentis. Sed tamen prioribus equitum partibus secundis additis ∞IↃCCC fecit equites numerumque duplicavit. Postquam bello subegit Aequorum magnam gentem et ferocem et rebus populi Romani imminentem.‘

Lectio tradita ‚postquam‘ cum ferri non possit nobis in ‚posteaque‘ mutanda videtur, qua coniectura sensus concinnitas restituitur. Moserus ‚posthac‘, Madvigius ‚post‘ coniecerunt. Restat ut de l. V fragmento, quod apud Nonium s. v. ‚imbuere‘ p. 521 est obvium atque servatum, disputemus, quod fragmentum hoc est: ‚Quae cum Scipio dixisset, admodum probans Mummius; erat enim odio *quorum rhetorum imbutus.‘

Mummium in artibus literisque liberalibus paene barbarum fuisse notum est. Quamob rem ascito praeeunte vocabulo ‚odio' coniciam ‚doctorum', quae coniectura et ad sensum optime quadrat et a tradita lectione non nimium distat, praesertim si vocis ‚odio' alteram syllabam respexeris. In Acad. post. I 8, 32 disputat Cicero de tertia philosophiae parte, quae erat in ratione et in disserendo exponitque pluribus quomodo tractata sit. Deinde pergit secundum codd. memoriam sic: ‚Scientiam autem nunquam esse censebant nisi in animi notionibus atque rationibus; qua de causa definitiones rerum probabant et has ad omnia, de quibus disceptabatur, adhibebant. Verborum etiam explicatio probabatur, id est, qua de causa quaeque essent ita nominata, quam ἐτυμολογίαν appellabant: post argumentis quibusdam et quasi rerum notationibus utebantur ad probandum et ad concludendum id quod explanari volebant: *in qua tradebatur omnis dialecticae disciplina, id est, orationis ratione conclusae.'

Corruptelam ‚in qua' sensu plane carentem Manutius ‚in quo', Madvigius p. 117 ‚ita' sanari posse sibi persuaserunt. At quoniam Cicero singulas philosophiae tractandae rationes distinguit atque enumerat particula ‚denique' corruptelae sedem obtineat necesse est. Quae coniectura ut sensui recte inservit, ita palaeographiae si reputes discrepantiam probabilitatis certe aliquid habet. Quam ob rem textum, qui vocatur, haud scio an iure conformem sic: ‚Post argumentis quibusdam et quasi rerum notationibus utebantur ad probandum et ad concludendum id, quod explanari volebant; denique tradebatur omnis dialecticae disciplina, id est, orationis ratione conclusae.'

In Tusc. disp. l. 2, 17, 40 codd. lectio haec est: ‚Aniculae saepe inediam biduum aut triduum ferunt. Subduc cibum unum diem athletae: Iovem Olympium, eum ipsum, cui se exercet, implorabit, ferre non posse se clamabit. Consuetudinis magna vis est: Pernoctant venatores in nive, in montibus uri se patiuntur. *Inde pugiles caestibus contusi ne ingemiscunt quidem.'

Merito interpretes vocem ‚inde' in dubitationem vocarunt omnes. Nobis quidem omnes difficultates huius loci tolli videntur mutata solum vocis ‚inde' utriusque syllabae sede. Quas syllabas si transposueris scripserisque ‚dein' nihil residet quo offendas. Accedit quod particulae ‚dein' proprius locus est in eiusmodi enunciatorum serie propagata. Quod Heinius (progr. Posn. 1862 p. 7) suspicatus est ‚item' quoniam a codd. lectione nimis discedit, reprobandum, praeterquam quod huic suspicioni otiosi aliquid et languidi aspersum est. Quam coniecturam Orellius proposuit, quamquam ipse reiecit ac sprevit, eam M. Seyffertus (ed. Lips. ap. Holtze 1864) amplexus est, parum reputans palaeographiae verisimilitudinem isti coniecturae non fere suffragari.

Pergamus iam ad l. 3, c. 6 § 12, ubi codd. lectio haec est:

‚Cadere, opinor, in sapientem aegritudinem tibi dixisti videri. A. Et vero ita existimo. M. Humanum id quidem, quod ita existimas. Non enim silice nati sumus, sed est natura *bile in animis tenerum quiddam atque molle, quod aegritudine quasi tempestate quatiatur.‘

Corruptelae ‚natura bile‘ originem interpretes adeo non indagaverunt, ut inaudita ratione in hoc loco tractando saevirent. Neque enim Bentleius unquam impetrare poterit, quod ipse coniecit ‚natura fere‘, ut id cuiquam probetur, cum palaeographiae adminiculis omnino careat. Lambinus corruptelae ‚naturabile‘ extremam partem omnino delevit, quae corruptelarum emendandarum via ac ratio fieri non potest quin tirocinii critici reprehensione notetur, cum literae istae corruptae, unde irrepserint, omnino explicari non possit. Rectam viam corruptelae emendandae ingressus est M. Seyffert, quamvis in difficultate tollenda audacius egerit iusto. Qui cum perspexisset in corruptela ‚bile‘ nihil aliud latere posse nisi partem residuam adiectivi verbis ‚tenerum et molle‘ notione affinis pro ‚bile‘ ‚tractabile‘ coniecit inserta ante ‚tenerum‘ voce ‚et‘ particula. Quam coniecturam ad codd. auctoritatem et memoriam parum se applicare prima fronte apparet. Nos quidem Marte nostro probabilitateque multo maiore pro ‚bile‘ ‚debile‘ restituendum censemus, quippe quae coniectura et palaeographiae legibus et sententiae cardini omni ex parte luculentissime satisfaciat. Legendum igitur sic: ‚Non enim silice nati sumus, sed est natura debile in animis et tenerum quiddam atque molle, quod aegritudine quasi tempestate quatiatur.‘ Reliquum est, ut de iis, qui in arte oratoria consistunt, libris disputationem instituamus. De or. 1, 38, 173 haec nobis traduntur: ‚Nam volitare in foro, haerere in iure ac praetorum tribunalibus, iudicia privata magnarum rerum obire, in quibus saepe non de facto sed de aequitate ac iure certetur, iactare se in causis centumviralibus, in quibus usucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, circumluvionum, nexorum, mancipiorum, parietum, hominum, stillicidiorum, testamentorum ruptorum aut ratorum ceterarumque rerum innumerabilium iura versentur, cum omnino, quid suum, quid alienum, qua re demum civis aut peregrinus, servus aut liber quispiam sit, ignoret, insignis est impudentiae.‘ Verba ‚ruptorum aut ratorum‘ Ernestio suspecta delevit Schuetzius, secluserunt Henrichsen et Ellendt. Orellius, ut sententiae satisfaceret, ‚irritorum‘ coniecturam ipse movit. Propius ad codd. lectionem traditam accessisse nobis videmur pro ‚ratorum‘ conicientes ‚rasorum‘. Cf., si placet, Ov. am. 1, 11, 22 ‚margine in extremo litera rasa.‘ Id. a. a. 1, 436 ‚tabellae rasae.‘ Tac. ann. 3, 17 ‚nomen radendum fastis‘. ‚Rasorum‘ vox cum literis minusculis scriberetur ‚raſorum‘ discrepantia literarum intercedit fere nulla. In eiusdem l. c. 42 lectionis traditae patrocinium Pideritium frustra suscepisse nemo non videat necesse est. Codd. lectio

haec est: ,Omnia fere, quae sunt conclusa nunc artibus, dispersa et dissipata quondam fuerunt; ut in musicis numeri et voces et modi, in geometria lineamenta, formae, intervalla, magnitudines, in astrologia caeli conversio, ortus, obitus, motusque siderum; in grammaticis poetarum pertractatio, historiarum cognitio, verborum interpretatio, pronuntiandi quidam sonus; in hac denique ipsa ratione dicendi excogitare, ornare, disponere, meminisse, agere *i g n o t a quondam omnibus et diffusa late videbantur.' Cum non id agatur ignotaene singulae artis dicendi partes fuerint necne, verum enunciati cardo in ea sententia vertatur, quae nunc artibus conclusae sint rhetoricae partes, eas hominibus olim dispersas et diffusas late visas esse, pro ,ignota' lectione literarum transpositione restituendum ,incondita'. Cf. de or. 3, 34, 137; de rp. 3, 2 ,inconditae voces.' Quam coniecturam quamvis ipse Marte meo, ut aiunt, indagaverim, eam a viro docto nescio quo, ut legitur ad h. l. apud Pideritium, mihi praereptam esse doleo. Nec minus aegre tuli cum § 241 in corruptela ,iuris in controversiis' emendanda coniecturam, ,iuris sine controversiis' a me factam iam a Pideritio occupatam in textumque, qui vocatur, receptam viderem. Sed haec hactenus. In eiusdem operis Tulliani § 198 codd. lectio haec est: ,Itaque, ut apud Graecos infimi homines mercedula adducti ministros se praebent in iudiciis oratoribus, ii, qui apud illos πραγματικοί vocantur, sic in nostra civitate contra amplissimus quisque et clarissimus vir, ut ille, qui propter hanc iuris civilis scientiam sic appellatus a summo poeta est:

Egregie cordatus homo catus Aeliu' Sextus,

multique praeterea, qui, cum ingenio sibi *auctore dignitatem peperissent, perfecerunt, ut in respondendo iure auctoritate plus etiam quam ipso ingenio valerent.'

Quod codd. praebent ,auctore' cum a sensu omnino abhorreat corruptum esse liquet. Pideritius Ernestio et Ellendtio auctoribus hanc vocem expunxit, Matthiae ,sibi auctoritatem pepererunt', Orellius ,ingenii sibi acumine' scribendum esse statuerunt. Quae coniecturae cum neque sensus bonitate omni ex parte commendentur et artis criticae certis legibus adstrictae probabilitati repugnent, tantum abest, ut textus, qui dicitur, integritatem restituant, ut conturbent atque contaminent. In corruptela ,auctore' nihil aliud latere videtur nisi ,auctiorem' legendumque sic: ,Itaque, ut apud Graecos infimi homines mercedula adducti ministros se praebent in iudiciis oratoribus, ... sic in nostra civitate contra amplissimus quisque et clarissimus vir, ut ille . . . multique praeterea, qui, cum ingenio sibi auctiorem dignitatem peperissent, perfecerunt, ut in respondendo iure auctoritate plus etiam quam ipso ingenio valerent.' Sensus igitur exsistit hic: Apud Romanos cum amplissimus quisque et clarissimus vir ad artem oratoriam se applicaret, fieri non potuit quin idem ingenio sibi dignitatem compararet

auctiorem. Ita evenit, ut nostrae civitatis oratores in respondendo iure plus etiam auctoritate quam ingenii viribus valerent. Cui coniecturae cum et sensus elegantia et literarum similitudo satis faveat et suffragetur in argumentando pluribus non immorabor. Ceterum cf., si tanti est, Liv. 4, 2 ‚auctior et amplior maiestas.'

In c. 46 § 202 codd. lectionem tradunt hanc: ‚Non enim causidicum nescio quem neque proclamatorem aut rabulam hoc sermone nostro conquirimus, sed eum virum, qui primum sit eius artis antistes, cuius cum ipsa natura magnam homini facultatem daret, tamen *esse deus putatur, ut et ipsum, quod erat hominis proprium, non partum per nos, sed divinitus ad nos delatum videretur.' Lectionem ‚esse' ferri non posse nemo non videt. Cui corruptelae viri docti ut subvenirent suspicionibus diversissimis ducti sunt. Madvigius ‚invenisse deus', Klotzius ‚dedisse deus' coniecerunt. Orellius vocem ‚pater' (inventor, Mercurius) intercidisse sibi persuasit, Baiterus ‚tamen' lectionem, quam codd. tuentur omnes, in ‚parens' mutavit. Pideritius pro ‚esse' ‚adfuisse' suspicatus in textum recepit. At omnes has coniecturas audaciae vitio nimis laborare apertum est. Quamquam concedendum in eo non errasse videri Orellium, quod similem patris notionem in enunciato nostro desideraverit. Quae cum necessaria sit ipsaque sensus condicione efflagitetur, conicimus pro ‚esse' ‚sevisse'. Cf. de verbi serendi usu de legg. 1, 6, 20 ‚serendi etiam mores nec scriptis omnia sancienda.' de rep. 2, 3, 5 etc.

Corruptela ‚esse' ex ‚sevisse' lectione quam facile oriri potuerit, in promptu est.

Pergamus iam ad l. 2, § 91. Legitur ibidem secundum codd. auctoritatem sic: ‚Nihil est facilius, quam amictum imitari alicuius aut statum aut motum. Si vero etiam vitiosi aliquid est, id sumere et in eo *vitiosum esse non magnum est, ut ille, qui nunc etiam, amissa voce, furit in re publica, Fufius, nervos in dicendo C. Fimbriae, quos tamen habuit ille, non assequitur, oris pravitatem et verborum latitudinem imitatur.'

Corruptela ‚vitiosum' crux fere, quae dicitur, critica interpretum facta est. Lachmannus ‚ambitiosum', Mueller in eo vitio totum esse', Ellendt ‚in eo ipso vitiosum esse' proposuerunt. Orellius ‚in eo vitio summum esse' vel ‚in eo vitio vitiosissimum esse' coniecit. Quoniam hoc loco de prava rhetorum imitatione ita disputatur, ut non magnum sit vitia alius oratoris assumere atque in his vitiis imitandis tam perfectum esse, ut non mutuatam sed suam ipsam naturam imitator ostendat, legendum est una litera ‚u' addita pro ‚in eo vitiosum esse' ‚in eo vitio suum esse'. De usu et notione pronominis ‚suus' cf. de fin. 4, 4 ‚semperque esse in disputando suum'.

In l. 3, § 227 haec reperiuntur:

‚In omni voce, inquit Crassus, est quiddam medium, sed suum cuique voci. Hinc

gradatim ascendere vocem utile et suave est. Nam a principio clamare agreste quiddam est et idem illud ad firmandam est vocem salutare. Deinde est quiddam contentionis extremum, quod tamen interius est quam acutissimus clamor, quo te fistula progredi non sinet et *tamen ab ipsa contentione revocabit.'

Pro ,tamen' quae vox sine dubio corrupta est, Henrichsen ,et iam', Orellius ,et tandem' coniecerunt. Equidem in corruptela nihil aliud subesse suspicor nisi pronominis personalis secundi formam ampliorem ,temet'. Quae coniectura cum simplicissima ratione corruptelae originem aperit et docet, tum sensui haud parum accommodata est. Legimus igitur sic: ,Deinde est quiddam contentionis extremum, quod tamen interius est quam acutissimus clamor, quo te fistula progredi non sinet et temet ab ipsa contentione revocabit'.

In Brut. c. 8, § 30, 31 codd. testimonium hoc est:

,Tum Leontinus Gorgias, Thrasymachus Calchedonius, Protagoras Abderites, Prodicus Ceus, Hippias Eleus in honore magno fuit . . . . . His opposuit sese Socrates, qui subtilitate quadam disputandi refellere eorum instituta solebat *verbis'.

Corruptelam ,verbis' nullus dum sanavit. Quod enim Orellius coniecit ,urbanissime' id nimis distat a codd. vestigiis. Corruptelae ,verbis' si accurate consideraverimus condicionem perpenderimusque sequentis vocis ,huius' literas, fieri non potest quin coniciamus ,verbosius'. Accedit quod et sensum si spectes omnes difficultates tolluntur et ad palaeographiae si provoces verisimilitudinem coniectura ad lectionem traditam proxime accedit, cum syllaba ,ius' propter insequens ,huius' facillime absorberi potuisse manifestum sit.

Legendum igitur statuo sic:

,His opposuit sese Socrates, qui subtilitate quadam disputandi refellere eorum instituta solebat verbosius'.

In or. c. 18 § 57 codd. memoria haec est:

,Est autem etiam in dicendo quidam cantus obscurior, non hic e Caria et Phrygia rhetorum paene canticum, sed ille, quem significat Demosthenes et Aeschines, cum alter alteri obicit vocis flexiones; *dicit plura etiam Demosthenes, illumque saepe dicit voce dulci et clara fuisse'. Corruptela ,dicit' cum nullo pacto stare possit Ernestio auctore ab Orellio seclusa et sublata est. Quae suspicio quam caduca sit iam inde apparet, quod ,dicit' corruptela, cur glossa sit, non pateat. Neque enim aut ad cuiusnam vocabuli obscuritatem illustrandam glossa inculcata sit reperias aut quidnam sensus inde proficiat extricare possis. Quam ob rem non possumus non suspicari corruptelam ,dicit' nisi prava lectione genuinae vocis Tullianae originem non duxisse. Quae genuina Ciceronis lectio patefieri restituique nobis videtur simplicis-

sime ‚a' litera addita pro ‚dicit' conicientibus ‚adicit'. Iam sensum fieri concinnum nemo negabit. Emendatio ipsa cum levissima sit corruptelaeque originem et viam per se monstret longiore disputatione supersedere posse mihi videor. Illud unum commemoro non adiiciendi sed adiciendi formam, qnae forma per libros manuscr. eosque antiquiores longe lateque patet, corruptelae causam praebuisse esse verisimillimum ac paene certum.

Paulo infra § 65 codd. servarunt haec: ‚Sed hoc differunt [sophistae], quod, cum sit iis propositum non perturbare animos sed placare potius, nec tam persuadere quam delectare et apertius id faciunt quam nos et crebrius, concinnas magis sententias exquirunt quam probabiles, a re saepe discedunt, intexunt fabulas, verba *apertius transferunt, eaque ita disponunt ut pictores varietatem colorum, paria paribus referunt, adversa contrariis, saepissimeque similiter extrema definiunt'. Alterum ‚apertius' cum neque sensui respondeat et ex superiore ‚apertius' lectione aberrantibus oculis ortum esse pateat, si quae alia lectio, corruptelae nota infecta est. Schuetzius ‚audacius' proposuit, Orellius, quod ipsi in mentem venerat ‚altius', id quamvis a codd. auctoritate nimis abhorreat in textum, qui dicitur, inferre est ausus. APERTIVS corruptelam accuratius contuentes cum probabilitate non parva in eam sententiam abire posse nobis videbimur in corruptela ‚apertius' latere ‚uberius', quae vox non solum propria est Ciceronis in eiusmodi iudiciis verum etiam si quae alia, id quod maius est, in sententiae cardine versatur sensusque condicioni necessariae subvenit egregie. Quae enim Ciceronis voces ‚verba uberius transferunt' sequuntur ‚eaque ita disponunt . . .' tantum abest ut ad coniecturam nostram muniendam nihil valeant ut eam confirment reddantque paene certam.

In orat. part. c. 23 § 81 corruptela nondum sanata reperitur, quae nimium quantum viros doctos torsit atque cruciavit. Lectio haec est;

‚Cernenda autem sunt diligenter, ne fallant ea nos vitia, quae virtutem videntur imitari. Nam et prudentiam malitia et temperantiam immanitas in voluptatibus aspernandis et magnitudinem animi superbia in *animis extollendis . . . . imitatur.'

Vocem corruptam ‚animis' Schuetzius delevit, Orellius in ‚nimis' mutavit. Nobis ista corruptela ex ‚inanibus' lectione orta videtur esse, quod quam facile fieri potuerit in promptu est. Adde quod etiam sensui haec coniectura optime prospicit. Etenim superbia una omnium maxime ‚in inanibus extollendis' cernitur. Cf. Mur. 12, 26 ‚inania prudentiae', act. in Verr. 1, 6 ‚inania nobilitatis', ‚inania honoris' et similia.

Restat, ut epp. ad Att. l. I ep. 1 corruptelam insignem disputando expediamus. Certiorem facit illa epistula Cicero Atticum de petitionis suae condicione et spe. Deinde enume-

ratis competitoribus pluribus in Caesaris et Thermi munere candidatorio perpendendo immoratur. Iam pergit sic:

‚Nostris rationibus maxime conducere videtur Thermum fieri cum Caesare. Nemo est enim ex iis, qui nunc petunt, qui, si in nostrum annum reciderit, firmior candidatus fore videatur; propterea quod curator est viae Flaminiae, quae tum erit absoluta sane facile. Eum libenter *mun ciceri consul(i) acciderint.‘

Corruptelam ‚eum libenter mun ciceri consul(i) acciderint‘ tam inextricabilem vir docti iudicarunt, ut de eius emendatione plane desperarint. Equidem reputans, a Cicerone Thermum haud incertum candidatum putari, quoniam curator sit viae Flaminiae, quae tum esset absoluta facile, fieri non potest, quin in corruptelae ‚munciceri‘ priore parte codd. vestigiis collatis ‚municipes‘ lectionem latere suspicemur, quorum plurimum interesset necesse erat, id quod per se patet, et ut Thermus consul fieret et ut via Flaminia absolveretur. Quae vox cum per compendia scribi soleret ipsis codd. vestigiis residuis maxime confirmatur. In corruptela ‚ciceri‘ nihil aliud nisi nomen Caesaris subesse mihi persuasum est. ‚Acciderint‘ verbum omnino sensu cassum in ‚addiderint‘ mutandum esse et sensus efflagitat et literarum similitudo probabile reddit. De verbi addendi simili usu cf. Lucil. ap. Macrob. sat. 6, 4 ‚si mihi non praetor siet additus.‘ Verg. Aen. 9, 649.

Ut brevis sim periodus tota, quoad eius divinando fieri potest, nostro iudicio conformanda est sic:

‚Nostris rationibus maxime conducere videtur Thermum fieri cum Caesare. Nemo est enim ex iis, qui nunc petunt, qui, si in nostrum annum reciderit, firmior candidatus fore videatur. Propterea quod curator est viae Flaminiae, quae tum erit absoluta sane facile, eum libenter municipes Caesari consuli addiderint.‘

Quaestionum Statianarum Particula II.

Statii silvas, magno illas verae poesis nitore leporeque insignes, Baehrensius cum ante hos tres annos, collatione cod. Sangallensis lectionum Politiano auctore servatarum instituta, publici iuris fecisset (Teubn. 1876), quid vir doctus ad promovendam vatis Neapolitani variis codd. varii generis mendis turbatam integritatem contulerit examinans nihil fere, id quod viri docti bona venia dictum velim, vel admodum pauca, quae quendam quasi progressum criticum praestiterint, sum expiscatus. Hic enim lectiones omni ex parte genuinas et integras con-

iecturis inanibus corruptas, illic corruptelas non modo vitiorum mendis non liberatas sed etiam in maius auctas, denique tantam divinandi coniectandique audaciam et cupiditatem offendi, ut sine dolore dici non queat. Quam ob rem cum iam anno superiore, quoniam artis criticae Statianae pars vel maxima a Baehrensio relicta videbatur, ‚Quaestionum Statianarum particulam I‚ programmate Wongrovicensi (Teubn. 1878) emisissem, ut, si quid novi divinando essem assecutus, particula II. disputando prosequerer, prout par erat et decebat, facile a me impetravi. Atque ut inde a l. I. proficiscatur disputatio legitur in ecl. 3, v. 8 sqq. vulgo sic:

‚Tunc Venus Idaliis unxit fastigia sucis
Permulsitque *comis blandumque reliquit odorem
Sedibus et volucres vetuit discedere natos.‘

